

cedat, neget, vel distinguat, nisi nominando partem argumentationis; & his verbis uti debet: concedo; nego; distingo; dubito; transeat: ut concedo, nego, distingo maiorem, vel minorem, vel antecedens; vel sequelam: respectu autem consequentis, & consequentia communitur dicitur: quod debet dicere distingo consequens: & non nego, vel concedo consequens: bene tamen dicit: concedo, & nego consequentiam: non tamen; distingo consequentiam. Ego autem dico: quod respectu istorum eisdem potest uti verbis, quibus ad maiorem, & minorem, & ad antecedens: nam ut in hoc libro cap. 1. diximus: aliud est consequens, & aliud consequentia, & potest conse-

Nota.

quens esse verum: & sic concedi: & consequentia mala: & ita negari: & aliquando dubia: & ita distinguere: ut patet in ista: omne animal est sensibile: ergo omnis canis est sensibilis: quae debet distinguere: est enim vera: si in consequente canis sumatur pro cane domestico, & pisce marino: falsa autem si significet sydus caeleste, & haec de Logica omnino dicta sufficient: ad laudem omnipotentis Dei, immaculate Virginis Mariae: sine labe originalis peccati conceptae, B.P.N.

Francisci, ac omnium nostrorum ordinis sanctissimi.



COMMENTARIA,
PLVRESQVE
 ARTICVLI, AC DIFFICVLTATES SVPER
 LOGICAM,

IOANNIS DVNS, SCOTI, DOCTORIS
Subtilis, ac omnium Theologorum Principis.

PROOEMIALIVM SCOTI,
 QVAESTIO PRIMA.

Utrum Logica sit scientia?



IRCA Logica dli-
 genter inte-
 dens; ut ve-
 rita tes, quae
 in eis sunt
 dubia, cla-
 rius eluces-
 cant; mo-
 uedo dubia
 primo su-
 pra librum Porphyrii; quareo vtrum Lo-
 gica sit scientia?

Videtur quod non: modus sciendi non est scientia: Logica est modus sciendi: ergo: maior patet a simili: quia modus sciendi non est visus: probo minorem per Arist. secundo Metaphysicae: Absurdum est simul querere scientiam, & modum sciendi: vbi communiter exponitur:

Text.com.
 15.

modum sciendi: id est, Logiam.
 Item: sexto Metaph. distinguit Arist. Text.com. 2.
 scientias in Mathematicam; Naturalem;
 & Diuinam, siue Metaphysicam: sub qua-
 rum nulla continetur Logica.
 Item: illud, quod procedit ex commu-
 nibus, non est scientia: quia scientia est
 ex proprijs: sicut & demonstratio, per
 Arist. primo Posteriorum: Logica est ex
 communibus: ergo non est scientia. Text. 3.
 Ad oppositum: scientia est effectus de-
 monstrationis: in Logica autem multa
 demonstratiue concluduntur: ergo, &c.
 Item: haec est per se vera: Logica est
 sciens: ergo Logica est scientia: quia a
 concretis; vbi est praedicatio per se, te-
 net consequentia, ad abstracta.
 Dicendum: quod Logica est scientia:
 quia, quae in ea docentur demonstratiue
 concluduntur: sicut in alijs scientijs: er-

Post. ubi supra.

go sciuntur: quia demonstratio est syllogismus faciens scire. Sunt etiam in Logica omnia requisita ad demonstrationem: ut subiectum, & passio demonstrabilis de subiecto, per medium, quod est definitio.

Intelligendum est tamen: quod Logica dupliciter consideratur. Vno modo in quantum docens: & sic ex necessarijs, & proprijs principijs procedit ad necessarias conclusiones: & sic est scientia, alio modo in quantum vtmur ea applicando eam ad illa, in quibus est vsum: & sic non est ex proprijs, sed ex communibus: nec sic est scientia: sicut patet in naturalibus: vbi Aristoteles adducit rationes Logicas, que procedunt ex medio communi, & non faciunt scire proprie loquendo.

Ad primum dicitur: quod modus sciendi non est scientia specialis; potest tamen esse communis.

Contra hoc: si hanc est vera aliquo modo: modus sciendi est scientia: cum sit predicatio in abstracto: ergo erit per se primo modo. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Consequenti patet: quia omnis predicatio in abstracto est essentialiter vera: sed falsitas consequentis patet: quia in intellectu subiecti non includitur predicatum.

Item: modus sciendi est posterior scire: ergo posterior est quia scientia: quia scire posterius est quam scientia.

Ideo dicitur aliter: quod minor est falsa, formaliter loquendo: ad eius probationem dici potest: quod illa expositio debet intelligi materialiter: & ita hanc predicatio, modus sciendi est scientia: est vera: quia Logica docet modum sciendi, pro tanto quia est de syllogismo, vel de argumento, per quod tantum habetur scientia.

Aliter dici potest: quod si exponatur modus sciendi per Logicam: copulatio non debet cadere inter scientiam, & modum sciendi: sed inter querere scientiam: & querere modum sciendi: nam hoc querere: est illud querere propter concomitantiam: sicut querere aliquid est querere illud, quod est sibi necessario coniunctum: licet vnum non sit reliquum.

Ad secundum dico: quod distinguit ibi scientias reales: cuiusmodi non est Logica: sed est scientia rationalis.

Ad tertium patet: quod Logica per propria principia ostendit passionem: licet eius vsum sit circa communia, &c.

Summa textus.

POST QUAM subtilissimus Magister, vt optimus Rhetor, in illis verbis: circa Logicalia, &c. Vniuersaliter huius operis, suamque determinationem ostendit: vniuersaliter operis per ly, circa Logicalia; determinationem vero, per ly, diligenter intendens: & postquam per sequentia verba; vt veritates, que in eis sunt, dubia &c. sine huius facultatis manifestat, qui consistit: si sit finis intrinsecus in tradenda cognitione syllogismi: si vero sit extrinsecus, per applicationem eiusdem syllogismi ad alias scientias in discernendo verum a falso; vt postea finis vltimus, qui est Deus Optimus Maximus obtineatur: ac tandem postquam promittit se mouere aliqua dubia; statim, considerans Logicam tripliciter considerari posse: vel secundum se, & suam quidditatem: vel in ordine ad alias scientias: vel respectu sui obiecti: mouet tres precipuas questiones circa hunc triplicem respectum, quas communiter proemiales appellamus. Et vt primae questioni, in qua querit, an Logica sit scientia, ex propria mente satisfaciatur (inverso tamen ordine) Logicam in docentem, & vtentem diuidit; vt patet, vt patet ibi: intelligendum est tamen. Qua diuisio ne premissa.

Dicit primo: quod Logica docens est vera, & proprie scientia: quam conclusionem probat duplici argumento ad oppositum: & alia duplici ratione, que habetur ibi; dicendum; quod Logica est scientia.

Secundo asserit: Logicam vtentem non esse scientiam: habetur ibi: alio modo, & probat hanc conclusionem de Logica vtente topica, que non est scientia; quia vtmur medio communi seu probabili, quod non facit proprie scire.

Notandum tamen pro doctrina Doctoris intelligenda: quod quando aliquid ex propria mente affirmat, communiter his vtmur verbis: dico: dicendum: vel potest dici: quando vero ex aliorum placito responderet: vtmur hoc verbo, dicitur: de quibus manifesta exempla habentur in textu, cuius doctrinam, quia in omnibus ab omnibus non recipitur, per varios Articulos ex ipso depromptos, examinare, & corroborare conabimur.

ARTICVLVS I.

An Logica sit?

PRIMA sententia potest esse Epicureorum, qui relati, & refutati ab Augustino lib. contra Cresconium Grammaticum, & a Diogene Laertio in vita Philosophorum, & a Lactantio lib. 3. de diuinis institutionibus.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

Nota.

Prima sententia.

tutionibus; asserbant consequentias logicas esse inuitas, & ficticias; ac per consequens Logicam non esse: que quidem sententia potest suaderi primo. Logica per oppositum opinantes, est scientia, que verum a falso discernit: sed verum & falsum non sunt in rerum natura: igitur nec ipsa Logica. Probo minorem: nam verum, & falsum sunt priuationes, que in rerum natura sunt formaliter; nihil igitur, &c.

Argum. 1.

Argum. 2.

2. Sententia Doctoris.

Tex. com.

59.

Not. 1.

Secundo Metaphysicus agit de omni ente; igitur de omni veritate: quia veritas est passio entis: igitur Logica redundat: ac per consequens cum Deus & natura nihil faciant frustra; logica non est in rerum natura.

Opposita sententia est communis; supponitur que a Doctore tanquam certa: nam querens verum logica sit scientia? Supponit logicam esse, & habere posse existentiam in rerum natura: quia questio ex septimo Metaphysica, est propositio dubitabilis, que aliud querit; & aliud supponit: pro huius sententia intelligentia notandum primo. Logicam in sui prima diuisione, que est æquiuocia æquiuocata, diuidi in naturalem, & artificialem: logica naturalis est quedam potestas intellectus, que naturaliter assentit vero, & dissentit falso; procedit que de notitia noti ad notitiam ignoti, & hanc logicam est omnibus hominibus a natura tradita: cum sit realiter ipsemet intellectus ad tales notitias inclinatus: licet talis naturalis inclinatio formaliter ab eodem intellectu distinguatur: vt patet per Doctorem in tertio dist. 17. quest. vnica lit. D. & in 4. dist. 49. quest. 19.

Logica artificialis est quidam habitus intellectualis per inuentionem, & doctrinam acquisitus, quo indicamus de reitudine cuiuslibet rationationis, & hic habitus, proprie logica dicitur: a logos, quod est sermo, & icos, quod est scientia, quod est idem ac sermocinalis scientia. Et quamvis sermo accidat sibi, quia tamen logicalis disputatio aptissime habet fieri per sermonem; ideo antonomastice dicitur sermocinalis; non denominatione obiectiua; sed potius instrumentalique quidem logica, quia duplicem habet finem, alterum intrinsecum, qui est cognitio syllogismi, & reductio bilium ad ipsum: & alterum extrinsecum, qui est per applicationem syllogismi ad alias scientias, verum a falso discernere: ideo ratione vtriusque finis varie solet a Doctoribus definiti: aliqui enim ratione finis extrinseci, sic eam describunt: Logica acquisita est, que a phantasijs, que videntur, & non sunt, nos liberat: errores damnat: falsitates ostendit: & in omni opere contemplationis lumen rectum prebet.

Alij autem sic: logica est scientia rationalis directiua actuum rationis.

Boetius vero de disciplina scholarium sic eam describit: logica est ratio discernendi verum a falso.

Augustinus tandem, quem sequitur in aliquibus Petrus Hispanus sic eam notificat: logica est ars artium, & scientia scientiarum, qua aperta, omnes aperiuntur, & qua clausa, omnes alia clauduntur, cum qua quilibet, & sine qua nulla: hanc Augustinus.

Ceterum, quia ex fine intrinseco nobis innotescere debet, sic logicam notificari arbitror, ex mente Doctoris nostri. Logica acquisita est scientia rationalis inclinans nos ad speculandam naturam syllogismi, & omnium, que ad ipsum ordinantur: & de existentia reali vtriusque logicæ inquit Articulus presens.

Secundo notandum: quod existentia in rebus creatis est quid intrinsecum essentia; vt patet ex Doctore in 2. dist. 3. q. 1. & dist. 1. q. 2. & in tertio dist. 6. q. 1. quare eo modo, quo essentia intelligitur: siue intra, siue extra suas causas ita intelligitur existentia. Vnde cum quilibet effectus intra suas causas habeat esse ipsarum causarum: quia esse causæ virtualiter est esse effectus; quia in virtute continet ipsum: sic de existentia effectus intra suas causas est philosophandum: & sicut effectus extra causas habet esse actuale realiter distinctum ab esse causarum; sic habet existentiam realiter ab earum existentia distinctam: dixique notanter existentiam esse quid, & non modum intrinsecum essentia: nam an sit modus intrinsecus, vel relatio transcendens realiter cum essentia identificata, est apud nostros controuersum. Videatur dominus Tartaretus in tertio dist. 6. qua st. 1.

Vltimo notandum: logicam tam naturalem, quam artificialem, habere suas causas efficientes, per quas in rerum natura existere dicuntur. Causa efficiens logicæ naturalis est ipsemet intellectus: nam cum sit quedam entitas, seu inclinatio ab intellectu formaliter distincta, efficienter metaphysicè ab illo pullulat: & intellectus in illo priori, quo intelligitur eius causa, dicitur illam virtualiter continere: & ipsa, postquam est producta, dicitur habere existentiam distinctam formaliter ab existentia intellectus; sicut etiam habet entitatem formaliter distinctam. Causæ vero efficientes logicæ acquisitæ sunt intellectus, & obiectum.

Dicendum primo. Logica naturalis, tam intra, quam extra suas causas, existit: hanc supponitur a Doctore, vt doctrinæ suæ conformis: & quoad primam partem ultra ea, que diximus, probatur: Logica naturalis intra suas causas est esse ipsarum causarum: sed eius causæ verè, & realiter existunt; videlicet intellectus, & causæ cum ipso concurrentes, vsque ad primam: igitur logica naturalis intra suas causas existit.

Secunda pars etiam est manifesta. Nam logica naturalis extra suas causas est entitas quedam formaliter ab intellectu distincta: sed talis entitas verè existit existentia sibi propria: igitur. Maior in opinione Doctoris certissima est: minor probatur: nam quilibet entitas siue realiter, siue formaliter ab alia distinguatur; habet propriam existentiam eodem modo distinctam: quia ex notabili secundo existentia est quid identificatum cum essentia. Igitur, &c.

Dicendum secundo. Logica artificialis, tam intra, quam extra suas causas dicitur habere existentiam: hanc etiam tanquam certa supponitur a Doctore: & quoad primam partem manet probata ratione precedentis conclusionis: nam intellectus certum est quod existit: obiectum quoque (quod

Notat. 2.

Nota.

Vlt. nota.

1. Conclusio.

2. Conclusio.

(quodeunque illud sit, etiamsi sit ens rationis) existit in suis fundamentis, ut infra dicemus, quod sufficit ut existere dicatur; & ut logica artificialis intra suas causas existentiam habeat. Igitur, &c.

Secunda pars experientia constat: nam multi sunt, qui logicæ præceptis comparatis, facilius, & absque errore diffiniunt, & discunt: quod antea non faciebant: sed hoc non potest fieri, nisi per habitum de nouo acquisitum existentem in intellectu; qui habitus seu facultas à nobis logica artificialis dicitur: igitur talis logica realiter extra suas causas existit: minor patet: nam si talis habitus non existeret, non facilius, quam antea discurrerent; cum intellectus sit idem, & agens eodem modo. Igitur.

Confirmatur: talis facultas discurrendi fuit de nouo acquisita: igitur per aliquam causam realem eam causantem; sed actio causæ realis semper terminatur ad effectum verè existentem: igitur talis facultas discurrendi, quæ logica acquisita dicitur, realiter extra suas causas existit.

Ad primū.

Ad primum in oppositum: nego minorem ad probationem dico: quod veritas, siue sit incomplexa, quæ passio entis dicitur, siue complexa, quæ veritas in enuntiando appellatur, de quibus Doctor in sexto Metaph. agit; semper pro fundamento, est aliquid positum: falsitas autem; licet, ut opponitur veritati incomplexæ, sit quædam negatio, quæ proprie ignorantia dicitur; ut ait Doctor super 9. Metaph. text. 22. nihilominus falsitas opposita veritati complexæ; quamvis ei aliquando, ut ignorantia opponatur; ut si vniantur extrema in aliqua propositione, quæ à parte rei non sunt vnita; ut si dicatur: homo est lapis: tamen proprius illi contrarie opponitur: & talis falsitas proprie dicitur error: & ut sic est aliquid positum, de qua inuestigat logica per sui subiecti applicationem; ut diximus.

Secundo respondeo: quod licet falsitas sit à parte rei formaliter priuatio & nihil: adhuc requiritur scientia ad discernendum inter ipsam & veritatem.

Ad secundam.

Ad secundum dico pro nunc: quod Metaphysicus agit de omni ente reali, & de veritate illud consequente; non vero de ente rationis logico nec de eius veritate.

ARTIC. II.

An Logica recte in docentem, & vtem rem diuidatur?

Argum.

QUIA Doctor in littera logicam artificialem in docentem, & vntem diuisit vtraque q; diffiniuit; idè de sufficientia huius diuisionis, & de vtriusque logicæ diffinitionibus in presenti articulo disputabimus. Et pro parte contraria sit argumentū. Si logica diuiditur in docentem, & vntem, etiam & Metaphysica diuidi debet tali diuisione: sed hæc non diuiditur, igitur. Maior probatur. Nam si logica diuiditur, maxime propter rationes, quas habet; quia scilicet docet præ-

cepta arguendi, & ea applicat in alijs scientijs: sed easdem rationes habet Metaphysica; & non diuiditur: igitur nec logica diuidi debet. Probatur minor: Metaphysica considerat primo suum obiectum: & secundo applicat ipsum ad alias scientias earum principia demonstrando: igitur habet easdem rationes, quas logica, ut diuidi possit in docentem, & vntem: & tamen non diuiditur. Igitur.

Notandum primo, quod sicut syllogismus consideratur in communi, vel in particulari pro syllogismo Demonstratiuo, Topico, & Sophistico sic logica consideratur in communi, ut agit de syllogismo in communi; & in particulari, pro parte scilicet demonstratiua; topica; & sophistica: & de omni logica procedit articulus isti.

Secundo notandum: logicam Docentem in communi, prout ex Doctore in presenti, & q. 3. Elench. & in quarto Metaph. text. 5. in colligitur, diffiniri eo modo, quo eam articulo præcedente notab. primo diffiniuit: diciturque in littera ex necessarijs, & proprijs principijs, ad proprias conclusiones procedere: quia docens demonstrare passiones de suo obiecto, necesse est, ut ex necessarijs, & proprijs principijs, ad proprias conclusiones procedat: hoc est enim cuiuslibet scientiæ proprium. At vero logica vtens, ut ex eisdem locis apparet est, quæ vtitur, exercet, applicat, siue construit in alijs scientijs illud, quod logica Docens considerare docuit: & logica vtens in hoc sensu dicitur à Doctore quæ sequente; ex communibus procedere: quia omnia, quæ applicat in alijs scientijs, sunt illis applicabilia: non vero (ut ibidem dicemus) dicitur communis, quia procedit ex medio communi; sicut loquitur in presenti: nam hic loquitur tantum de logica vntem topica, quæ ex medio communi ad proprias conclusiones procedit.

Ex quo inferitur primo diffinitionem logicæ vtentis positam in littera, videlicet, logica vtens est, in quantum vtitur ea, applicando eam, ad illa, in quibus est vsus: non contradicere diffinitioni à nobis traditæ; imò est eadem, si rectè perpendatur: nam cum ad acquirendas scientias in esse perfecto, necesse sit, ut intellectus noster habitu logicæ informetur, & ipso vtatur ad eliciendos actus, ad quos ipse inclinatur (hoc est enim potentiam vti habitu, ut optime Leuchetus in primo dist. 3. quæst. 6.) hinc ait Doctor: quod logica vtens est, qua noster intellectus vtitur, & elicit actus applicatos ad scientias; in quibus est vsus.

Inferitur secundo, cum potentiam vti habitu sit simul elicere actum cum illo, & è contra nam habitus ut suppono ex Doct. in primo dist. 17. q. 2. actiue concurrat ad actus) nos vti habitu logicæ est, ipsam cum intellectu nostro ad acquisitionem scientiarum in esse perfecto concurrere. Vnde vsus ibi est quidam actiuis concursus ex parte logicæ se tenens: & non solum denominatio extrinseca, qua dicitur vsa passiuè; siue ab vsu intellectus nostri, ut vult Ioannes Anglicus super hanc quæst. siue ab vsu actiuo aliarum scientiarum, ut vult dominus Toletus.

Tertio notandum, quod tam logica in communi,

1. Nota.

2. Nota.

Corol. 1.

Corol. 2.

3. Nota.

mun, quàm in particulari, diuiditur in Docentem, & vntem. De logica in communi iam diximus: de alijs in particulari nunc dicemus. Est igitur logica demonstratiua docens, quæ naturam demonstrationis, eulque passiones ex proprijs principijs demonstrat: vtens vero est quatenus hanc demonstrationem, quam docet, efficit in alijs scientijs. Logica topica docens est, quæ naturam syllogismi topici considerat: & hæc pars communiter Dialectica nuncupatur; quasi scientia, quæ docet instrumentum syllogisticum, quo duo, videlicet Opponens, & Respondens adiuuicem conferunt: dicitur talis syllogismus, Dialecticus, à Dia, Græce, quod est duo, & logos, quod est sermo, quasi sermo inter duos: dicitur quoque topicus, à Topos, Græce, quod est locus Latine, quasi syllogismus in locis Dialecticis formatus: ex quo etiam probabilis seu generans opinionem est dicitur: logica topica vtens est, quæ in alijs scientijs construit syllogismum topicum: & quia procedit ex medio communi, proprie, ac regulariter, logica vtens appellatur, ut patet in textu. Logica tandem docens Sophistica est, quæ docet modum arguendi apparet: vtens autem est, quæ talem modum syllogisticum in alijs scientijs constituit.

Corol.

Ex quibus infero contra Dominum Mauritiū, & Dominū Sarnanum in presenti, & Doctorem Fonseca in Metaphys. quæst. 1. sect. 6. partem demonstratiuam logicæ non solum esse docentem, sed etiam vntem: quia non solum hæc pars concurrat cum intellectu ad demonstrandas passiones syllogismi demonstratiui: sed etiam concurrat cum illo ad scientias acquirendas construens in illis syllogismum, quem docet. Nec auctoritates Doctoris, quas pro se adducunt aliud volunt: nam quæst. 1. Elenchorum & quarto Metaphys. ut supra: ubi ait: scientia Dialectica traditur per demonstrationem, vsus autem eius in probabilibus consistit: tatum vult ponere exemplum huius diuisionis in logica topica, & sophistica, non dubitans de demonstratiua: an vtens debeat esse: sed quia dubitabat de illis, an essent scientiæ: idè in eis tantum hæc diuisionem appoluit.

Vel secundo respondeo, & sit explicatio alterius auctoritatis in hac quæstione positæ, ubi ait: logicam vntem ex probabilibus, & ex communibus procedere; & idè opinionem generare: quod non accidit in logica demonstratiua: nam hæc etiam in alijs scientijs scientiam generabit: quare pars topica in docentem, & vntem diuiditur: Respondetur igitur: quod logica potest dici communis, vel ex parte obiecti applicabilis, vel ex parte medijs: vnde eum logica topica ex vtroque capite communis dicatur, & pars demonstratiua tantum ex parte sui obiecti, idè Doctor solum topicam in docentem, & vntem diuisit; non tamen demonstratiuam ab hac diuisione excludens.

4. Nota.

Quartum notandum: quod aliud est logica vtens, aliud vtens logica; nam primo modo logica est in nominatiuo casu concordatque cum ly, vtens: at vero secundo modo est in ablatiuo, & illud participium vtens non cum logica, sed

cum illo, qui ea vtitur, concordat: & logica in hoc sensu, non vtens actiue, sed passiuè; hoc est (si ita loqui fas est) vsa appellatur: & scientia, quæ ad sui perfectam acquisitionem vtitur logica; dicitur vtens logica; non vero logica vtens actiue sumpta, & de qua agimus, ut sine fundamento sibi voluerunt nonnulli: quia logica vtens actiue est ipsamet logica, quatenus applicat sua instrumenta alijs scientijs, ut dictum manet.

Vltimum notand.

Vltimum notandum: quod sicut logica docens consideratur habitualiter, & actualiter: actualiter, quando in actu secundo naturam aliquis secundæ intentionis contemplatur: & habitualiter, quando in actu primo est in intellectu illa habitus, & facultas contemplandi, vbi possit prorumpere in actualem considerationem, sicut apparet in logico dormiente: sic logica vtens dupliciter consideratur: in actu secundo quando actualiter alijs scientijs aliquod instrumentum sciendi applicat: & in actu primo, quando est vsuata, & applicatiua talis instrumenti.

Corol.

Ex quo infero contra Patrem Vazquez i. p. dist. 8. cap. 6. num. 19. Logicam vntem non esse solum actualem constructionem propositionis, seu syllogismi: nam hæc tantum est logica vtens actualis: sed esse etiam habitum logicæ; ut est applicatiuus, & constructiuus talis syllogismi aliter enim logicus, qui actualiter hos actus non exerceret, non diceretur habere logicam vntem: Quod est falsum.

1. Conclusio.

Dicendum primo: logica artificialis recte in docentem, & vntem diuiditur. Est communis apud omnes cum Doctore locis citatis: & patet ex dictis.

2. Conclusio.

Dicendum secundo, logica docens est, quæ naturam syllogismi, & reducibilem ad ipsum considerat, eorum passiones ex proprijs principijs demonstrando: vtens vero est, quæ intellectum adiuuat ad talem syllogismum, & reliqua in alijs scientijs construendum: hæc etiam quoad vtranque partem est Doct. & manet etiam probata, & explicata in corpore articuli.

Ad argu.

Ad argumentum in oppositum respondeatur primo negando maiorem. Nam ex Antonio Andree in primo Metaphysic. quæst. 11. etiam Metaphysica in docentem, & vntem diuiditur.

Secundo nego paritatem rationis: nam Metaphysica quando ad alias scientias descendit, est sine cessatione contemplationis sui obiecti; & idè hanc non patitur diuisionem: at logica, quando applicat suam obiectum alijs scientijs, cessat pro tunc ab illius contemplatione: & idè merito hanc diuisionem admittit.

